



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De Christi adductione ad Caipham. Matt. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

V. *De Christi deductione ad Caipham.*
Matth. 26.

I. **I**esus ab Annæ domo à satellitibus tumultuosè vociferantibus, proterueque illi insultantibus, accurrentibus passim ad rei nouitatem spectatoribus, ligatus, vultu liuido, impressa sacrilegæ alapæ vestigia circumferens, adductus est ad Palatium Caiphæ summi Pontificis, vbi Scribæ, & Seniores, & Pharisei conuenerant de modo Christum falsis calumnijs obruendi, atque è medio tollendi deliberantes: quorum funestas contra se machinationes, malitiosissimas adinventiones, & plusquam caninam rabiem cum intimè perspiceret, quanto doloris sensu tantam eorum deploraret malitiam, æternamque illi debitam pœnam! quoties ingemuerit non ob contumeliam & mortem sibi, sed æternam confusionem perdicionemque illis, & omnibus peccatoribus imminentem? Comparsio, dilectio persecutorum.

II Christus variè, falsò, cõtumeliosèq; accusatus à falsis testibus subordinatis, vti olim Naboth iustus iussu Iezabelis,

belis, nihil respondit, implens illud:
Factus sum sicut homo non auariens, & non *Psal. 37.*
habens in ora sua redargutiones, intimè

illorum tantæ malitiæ, & cæcitati
 compatiens, omnium nostrum in pec-
 cando proteruiam deflens & expians,
 inuictæque patientiæ in tolerandis
 iniurijs nobis exemplum exhibens:
 adiuratus verò, per Deum, vt confite-
 retur an esset Christus Filius Dei viui,
 clarè fassus est se esse, addiditq;: *Amodo*
videbitis filium hominis sedentem à dextris
virtutis Dei, & venientem in nubibus
cæli: ne videlicet se purum hominem,
 qualem tunc præ se ferebat, esse crede-
 rent, licet sciret sibi ob hanc confessio-
 nem tot opprobria, tormenta, mor-
 temque imminere, idque ex zelo glo-
 riæ Patris, nostræque salutis, quæ ex
 hoc eius responso pēdebat Tolerantia
 iniuriarum, zelus honoris Dei, deside-
 rium martyrij.

III. Tunc princeps Sacerdotum sci-
 dit vestimenta sua, dicens: *Blasphe-*
mauit, quid adhuc egemus testibus. Ec-
ce nunc audistis blasphemiam, quid vo-
bis videtur. At illi respondentes dixe-
 runt: *Reus est mortis; implētes nimirum*
illud; circūueniamus iustum, quoniā inu- *Sap. 2.*
tilis est nobis, & contrarius operibus nostris:
 & im-

& im-

Et improperat nobis peccata legis. Et filium Dei se nominat, morte turpissima condemnemus eum. Quò doloris sensu iniustissimam hanc ex malitiosissimâ mente prolatam mortis sententiam exceperit Dominus, scrutans corda & renes, eorumque salutem tam ardentè desiderans! quantò nihilominus humilitatis, mansuetudinis, amoris excessu tanquã de manu amantissimi Patris acceptãrit; idque ex gratuitâ misericordia, ut nos ab æternæ mortis sententia liberaret. Admirare, gratias age, imitare.

VI. *De toleratis à Christo in domo Caiapha.*
Matth. 26.

I. **P**ostquam Filius Dei tanquam blasphemus, & reus mortis à concilio condemnatus, quinque insignibus contumelijs est affectus. 1. conspuerunt in diuinam faciem eius ipsi Seraphinis tam venerabilem, & quidẽ vilissimi & improbissimi homunciones, de quibus meritò queritur: *Abominantur me, & faciem meam conspuere non verentur, quod passim heu imitantur tot peccatores!*

Porrò agnus mansuetissimus hæc
omnia